

exprimebatur, quo veluti liquido melle utebantur: quare mel cannæ dictum fuit, quod ex Ægypto, Cypro, Creta, Sicilia & Rhodo afferebatur. Hoc etiam ante Galeni tempora notissimum fuit, & saccharum tabarzeth ab Auicenna dicitur.

Recentiorum à prædicto confectionis modo potissimum differre videtur, cum veteres suum expressione, recentiores vero coctura conficiant.

Est autem nostrum saccharum succus è singulari arundinis genere expressus, ad iustam consistentiã calore ignis excoctus, defecatus, & in turbinatas metas densatus, colore & splendore niueus, aut in candido rufescens, qui cum aqua dissolvitur, & rursus ad crassitudinem coquitur, mellis instar pinguis, & in longum ductilis, dulcedinis suauitate mel superans, qui quanto plus coquitur & defecatur, tanto candidior & dulcior euadit.

Diuidimus saccharum in concretum & molle; Concretum in pyramidale, miscellaneum, candidum & penidium. Pyramidale in Maderense, Canarium, Finale, Melissium & Thomæum.

Maderense ab insula Madera dictum, ex Lusitania adfertur in metas lb. 6. 7. 8. 9. & 10. suauitate sua ad confectiones expetitur, quod ceteris omnibus præfertur.

Canarium ab insula Canaria inter Africam & Americam sita, vbi copiosissime coquitur, & Melissio ac Thomæo candidius, solidius ac purius. Eligendum in hoc genere candidissimum, aridissimum, minime lentum, sed quod malleo percussum in solidas partes dissilit, vt liquefactum ac desubmatum aqueam claritatem habeat: quod metris 10. & 12 lb. adfertur. Finale